



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

9 In qua parte recipiatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

D. Thom.

est confirmatus, nec refert, quod nunquam sint spi-
ritualiter militauerunt quia illud est per accidens:
tum etiam quia sine pugna possunt ad praemium mi-
litantium peruenire, vterum dicitur in puncto se-
quente. Et haec sententia colligitur plane ex D. Tho.
hic praefertim ad secundum, & quartum. Neque est vi-
la consuetudo in contrarium, neque de aliis infantib.
est similis ratio, vt ex dictis patet: infantes n. non pri-
uantur hoc sacramento, sed solum eis dicitur, vt co-
modius tempus expectetur: hi vero, vel omnino ef-
fense videtur, vel, si priuandi no sunt, nulla est ratio dif-
ferendi sacramentum. Vnde potius dicerem debere
Episcopos huiusmodi amentes confirmare, nisi ali-
qua grauis & extraordinaria causa impediatur.

Quis sunt
in articulo
mortis, non
sunt priuan-
ti hoc sacra-
mento.
Melch.
Papa.

Circa tertium, de his, qui sunt in articulo mortis
constituti, eadem fere est ratio & causa dubitandi, cu-
ea, quam in dubio precedente assignauimus: na vt
ait Melchiasdes Papa, Et si vltimis necessaria sunt Co-
firmationis auxilia, ac continuo transitoris sufficiunt
regenerationis beneficia, &c. Nihilominus tamen
huius praesentis debij resolutio eadem prorsus est, sc.
regulariter & per se loquendo, huiusmodi homines
iam morituros omnino esse confirmandos, quia nul-
la ratio est, vt per se constat, cur tanto augmento, ta-
taque perfectione gratiae & gloriae iam iam morituri
priuentur: & quia, licet, ratione mortis imminen-
tis, non sint pugnaturi, id plane est per accidens, fati-
sque est, quod, quantum est de se, sint capaces pugnae:
& quod sine pugna possint praemium & mercedem
pugnantib. debitam obtinere. At iphaec est sententia
communis Theologorum, cum D. Th. hic ad quartum
argumentum, & in quarto sententiarum, dist. 7. vbi
D. Bonau. & alij omnes, quos in primo puncto cita-
uimus, id ipsum docent. Quod aut hoc minime sit in
vsu, non est, quia non expedit, sed potius quia non
potest commode fieri, & cum debet solemnitate: &
praefertim, quia (vt in simili dixit Innocent. in episto-
la 1. ad Decentium circa finem) Episcopi occupatio-
nibus aliis impediti, ad omnes languidos ire no pos-
sunt, caeterum si Episcopus, aut potest, aut dignum
duci aliquem a se visitandum, & benedicere, & tan-
gere Chrismate, sine cunctatione potest: quae verba
dixit Innocent. de Extrema vnctione, habent tamen
eandem veritatem ad Confirmationem applicata.
Melchiasdes autem Papa negat hoc sacramentum
esse morituris necessarium, non tamen negat esse
valde vtile, atque conueniens.

D Thom.
Bonau.

Innoc.

ARTICVLVS IX.

Verum hoc sacramentum sit conferendum homini
in fronte.

Inf. art. 11.
ad 3. & 4.
d. 7. q. 3. ar.
3. q. 3. ar.
cont. c. 60.
Et quod, 11
ar. 7. cor. Et
Ro 1. lec. 5.
jn. & c. 10.
lec. 2. cor. 1.
q. 65. art. 4.
Art. 1. & 2.
huius q.

Lib. 1. c. 30.
in prin.

Art. 1. 2. &
4. huius d.

Ad nouum sic proceditur. Videtur quod hoc sacramentum
non sit conferendum homini in fronte. Hoc enim sacra-
mentum est perfectum Baptismi vt supra dictum est. * Sed
sacramentum Baptismi confertur homini in toto corpore. Er-
go hoc sacramentum non debet conferri solum in fronte.

2. Praeterea. Hoc sacramentum datur ad robur spirituale,
vt supra dictum est. * Sed spirituale robur maxime consistit in
corde. Ergo hoc sacramentum magis debet conferri supra, or-
quam in fronte.

3. Praeterea. Hoc sacramentum datur homini ad hoc, quod
libere fidem Christi confiteatur. Sed ore fit confessio ad salutem,
vt dicitur Rom. 10. Ergo hoc sacramentum magis debet con-
ferri circa os, quam in fronte.

Sed contra est quod Rabanus dicit * in lib. de institutione
clericorum: Signatur baptizatus chrismate in summitate
capitis per sacerdotem, per Pontificem vero in fronte.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) in hoc
sacramento homo accipit Spiritum sanctum ad robur sp-
ritualis pugnae, vt fortiter etiam inter aduersarios fidei, Ch r

si fidem confiteatur. Vnde conuenienter signatur Chrismate
signo crucis in fronte propter duo: primo quidem quia in-
gnitur signo crucis sicut miles signo ducis, quod quidem debet
esse euidens & manifestum. Inter omnia autem loca corporis
humani, maxime frons manifesta est, quae quasi nunquam
obtegitur. Et ideo limitur confirmatus Chrismate in fronte,
vt in manifesto demonstrat se esse Christianum, sicut & Apo-
stoli post acceptum Spiritum sanctum se manifestauerunt,
qui prius in carnaculo latebant. Secundo, quia aliqui impe-
ditur a libera confessione nominis Christi propter duo, scilicet
propter timorem, & propter verecundiam. Vtriusque autem
horum signum maxime manifestatur in fronte propter duo,
scilicet propter propinquitate imaginationis & propter hoc
quod spiritus a corde dicitur ad frontem ascendunt. Vnde re-
recondati erubescunt, timentes autem pallescent, vt dicitur
in 4. Ethic. * Et ideo in fronte signatur chrismate, vt neque
propter timorem, neque propter erubescuntiam, nomen Christi
confiteri praeremittat.

Ad primum ergo dicendum, quod per baptismum rege-
ramur ad vitam spiritualem: quae ad totum hominem perti-
net. Sed in Confirmatione roboratur ad pugnam, cum sig-
num spirituum est in fronte, quasi in euidenti loco.

Ad secundum dicendum, quod principium fortitudinis est
in corde: sed signum apparet in fronte. Vnde dicitur Eccl. 5.
Ecce dedi frontem tuam durioram frontibus eorum. Et ideo
sacramentum Euchariae, quo homo in episo confirmatur,
pertinet ad cor: se tendum illud Psalm. 103. Panis cor hominis
confirmat. Sed ad sacramentum Confirmationis requiritur
signum fortitudinis ad alios, & ideo exhibetur in fronte.

Ad tertium dicendum, quod hoc sacramentum datur ad
libere confitendum, non autem ad confitendum simpliciter,
quia hoc fit etiam in Baptismo. Et ideo non debet dari in ore,
sed in fronte: vbi apparent signa passionum, quibus libera con-
fessio impeditur.

Hic articulus iam est in superioribus explicatus.

ARTICVLVS X.

Verum ille qui confirmatur, debeat teneri ab alio.

Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod ille qui confir-
matur, non debeat ab alio teneri ad Confirmationem. Hoc enim
Hoc enim sacramentum non solum pueris, sed etiam adultis
exhibetur. Adultus autem per se ipsos stare possunt. Ergo ritum
est, quod ab alio teneantur.

2. Praeterea, ille, qui iam est de Ecclesia, liberum habet ac-
cessum ad Ecclesiam Principem qui est Episcopus. Sed hoc sacra-
mentum (sicut dictum est) non exhibetur, nisi baptizato, quod
quoniam est membrum Ecclesiae. Videtur ergo, quod non debeat
per alium exhiberi Episcopo, ad hoc sacramentum recipien-
dum.

3. Praeterea, Hoc sacramentum datur ad robur spirituale,
quod magis viget in viris, quam in mulieribus, secundum illud
Proverbiorum vltimo. Mulierem fortem quis inueniet? Ergo
ad minus mulier non debet tenere virum ad confirmationem.
Sed contra est quod Innocentius Papa dicit, & habetur
in Decret. 30. quaest. 4. Si quis ex coniugio filium aut filiam
alterius, de sacro fonte susceperit, aut ad Chrismate tenentis,
&c. Ergo sicut requiritur, quod aliquis baptizatum de sacro
fonte leuet, ita debet aliquis teneri ad sacramentum Confir-
mationis accipiendum.

Respondeo dicendum, quod (sicut dictum est) hoc sacra-
mentum exhibetur homini ad robur pugnae spiritualis. Sicut
autem aliquis de nouo natus, indiget instructore in his, quae
pertinent ad conseruationem vitae (secundum illud Hebraeor.
12. Patres quidem carnis nostrae habuimus eruditores, & re-
uerabamur eos) ita illi, qui assumuntur ad pugnam, indigent
eruditoribus, a quibus instruantur, de his, quae pertinent ad
modum certaminis. Et ideo in bellis materialibus constituuntur
Duces & Centuriones, per quos alij gubernentur. Et
propter hoc etiam ille, qui accipit, hoc sacramentum, ad alio
teneri